

Johann Nicolaus Quistorp

**Programma Qvo Cives Academici Ad Sinceram Et Sacram Meditationem
Passionis Salvatoris Nostri Unici Jesu Christi Invitantur**

Rostochii: Typis Joh. Weplingii, [1710?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003465056>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

—
1710. Fasten

~~A-1256~~ #19.

Q. 1710

PROGRAMMA
OVO
CIVES ACADEMICI
AD
SINCERAM ET SACRAM MEDITATIONEM
PASSIONIS
SALVATORIS NO-
STRI UNICI
JESU CHRISTI



INVITANTUR,
PROPOSITUM

à
RECTORE
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS.

JOHANNE NICO-
LAO QVISTORPIO,

D.P.P. AD DIV. NICOL. PAST. ET R. MINISTERII
SUPERINTEND. AC FACULT. THEOL.

HODIE DECANO.

ROSTOCHII,

TYPIS JOH. WEPPLINGII, SERENISS. PRINC.
ET ACAD. TYPOGRAPHI.

M. 1256 119

1465



Cum JESU omnia!



Umma JESU Salvatoris nostri pietas est erga genus humanum, omnipotens Deus creator & conditor Angelorum & hominum, omnis creaturæ visibilis & invisibilis Pater dextrimus infirmitati humanæ vitale composuit medicamentum, in tantum dilexit opus suum, in tantum reputavit servum suum, i. e. humanum genus universum, ut culpam ejus suo verbere expiaret, vulnera ejus suo livore sanaret. Ille peccat, hic vapulat. Ille prævaricatur, iste crucifigitur pro sceleratis, pro impiis. Humilitatis Magister gratiosissimus, ut superbiam nostram suâ submissione corrigeret, mortis suæ tragædiam â submississima humilitate orditur. Mittit aqvam in pelvim, lavat pedes discipulorum & extergit linteo, quo præinctus est. Cum Filius DEI duobus Angelis stipatus hospitalem Abrahami domum inviseret, non ipse Patriarcha pedilavii ministerio defungebatur, sed aqvam tantum afferri procurabat;

procurabat; Cujus rei causam insignis quondam Ecclesie
nostrae Theologus in humilitate quaerendam existimavit,
quippe indignum se judicabat, ut tantorum hospitem pe-
des ipse tangeret, quemadmodum Johannes Baptista ad
Christi Majestatem animi oculos attollens indignum se
censuit, qui corrigiam calceamenti ejus solveret. At multo
major JESU nostri humilitas, qui, cum omnem Majestatis
divinae gloriam possideret, discipulos tamen suos non in-
dignos habuit, quorum pedes ipse manibus suis lavaret.
Hostis noster infensissimus diabolus, super omnia vi-
deri vult elatus, Redemptor autem noster verè maximus
super omnia, fieri inter omnia dignatus est subjectissi-
mus. Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus
est se aequalem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam
servi accipiens, ut impiorum execrabilis superbia con-
demnetur, ac mortalium fastus deprimatur. Ad hor-
tum Salvator noster JESUS CHRISTUS è cœnaculo pridie
mortis suae prodit, in quo pro deliciis angustiae, pro re-
laxatione mœror, pro ambulatione formido & pavor,
dolor pro voluptate, tormenta pro plantulis, catenae pro
flosculis, fustes, lanceae, faces pro arboribus, suspiria pro
favoniis, pro fonticulis sudores & hi sanguinei! O in-
tensissimi dolores! verum & quoad substantiam natura-
lem fuisse illum sanguinem, quem Christus in horto
effudit, nulli dubitamus, licet modo naturali non fuerit
effusus, sed eo respectu plane fuerit miraculosus. Parti-
culam *ὡς ἐν ῥόμβῳ* non similitudinis, sed veritatis esse du-
dum Nostrates probarunt exemplis evidentissimis. Ver-
ba Evangelistae non nudam comparisonem, quod o-
lim voluit Euthymius, vel proverbialem hyperbolem,
sicut credidit Theophylactus, sed ipsam veritatem effusi

X 2

sanguini-

fanguinis propugnant. In finitos cruciatus iræ divi-
næ adeoq; pœnas infernales passus est Christus noster in
hocce horto intensivè. Desperare non poterat vi unionis
personalis, & quamvis cum horrore mortis æternæ
luctaretur, ne tamen succumberet, ipsius Personæ
dignitas, & officii mediatoris finis obstabat. Noverat
Servator se victorem mortis fore, non victum. Hinc &
in ipsis precibus in horto Patrem appellat, quod filialis
fiduciæ indicium erat. Et in cruce Deum suum invocat,
quæ sperantis & confidentis vox est. O admiranda Chri-
sti liberalitas, summus amor fuit, quod omnem sangui-
nem pro nobis fuderit. Romani veteres teste *Plutarcho*
coccineam tunicam ad Imperatoris tentorium in hastâ
proposuerunt, accendendo militi ad concipiendam pu-
gnam & arma paranda: & ut intelligerent diem præ-
lii adesse, pro vitâ & sanguine certandum esse. Præ-
lium Salvatoris nostri cruentum, atrox, infandum in-
stabat; omnis inferorum phalanx in unius caput con-
juratis viribus imminebat, & en pridie quam pugna
hæc committenda, noster hic Imperator dat belli si-
gnum è rupe olivaria: Vestem Ipse suam non alio
Mariæ, vel ostro, quam sanguine suo rubefactam propo-
nit. Neque vero eam facili labore rubefecit: Gemuit,
suspiravit, doluit, sudavit, & sudando sanguinem emisit.
O mi bone Jesu; quo tua demum in nos abibit liberalitas;
Paulo ante sub extremæ cœnæ finē, tuum nobis sangui-
nem in calice propinasti, jam illum iterū in tuo corpore
& veste in hostis pavimento propinas, brevibus in ædi-
bus Pilati copiosorem, omnem deniq; in Golgata pro-
pinaturus è Cruce. Attendite heic *Cives, Optimi Christi*
fan-

sanguine acquisiti. Proditorem suum osculo suscepit, ò
 nefandum scelus, servus Dominum tradit, discipulus Ma-
 giftrum prodit. Signo dato ab his, qui cum fustibus
 venerant, detinetur, injicit manus turba, ne tunc vin-
 cula, detinetur justitia, & traditur ab injustitia: Petrus
 sequitur à longe, abnegat Dominum suum, quod negare
 non potuisset, si Christo Domino adhæsisset. Pro-
 bra & verbera Dominus noster in Domo Caiphæ acerbè
 sensit, crudelis plane colaphus ab infimo mancipio in-
 cussus est Christo, sed minus sensit mitissimus Dominus
 ab inimico servo verberari, quàm negari ab amico Petro A-
 postolo suo dilecto. Accusatur: JESUS noster & tacet. *Taci-
 turnitas enim negat* (inquit Augustinus Sermon. CXVIII.
 de tempore) *quod objicitur, cum non vult respondere, quod
 queritur. Accusationem Dominus tacendo non firmat, sed
 despicit non repellendo. Benè enim tacet, qui defensionem non
 aesperat, & paulo post: Vicit ergò cum judicatur Christus,
 quia innocens approbatur.* Unde Pilatus: innocens ego
 sum à sanguine hujus justii. Melior est igitur causa, quæ
 non defenditur & probatur, plenior justitia, quæ non
 verbis adstruitur, sed veritate fallitur &c. Romanus
 Præses Pilatus ut sese alexæ periculosa subduceret, Chri-
 stum Herodi Antipæ, Magni Herodis, qui tot millia
 infantum jugulavit, nobilis Tyranni filio, nec degeneri
 à Parente partui vinctum transmittit, qui viſo JESU
 gavifus est valdè, videre Eum, partim ambitione, par-
 tim curiositate ductus lætabatur ad suum tribunal hunc
 vinctum stare, qui magiam aut histrioniam exercere,
 aut Schœnomaticam facere, ideò prodigii aliquid ex-
 spectabat. At ipse nil respondebat, probè enim novit,
 responsum nil facere ad emendationem. Verum ut lu-
 sus

fus tanto sit hilarior, pluribusq; innotesceret, linteô albo ornat, ut nemo nesciret, hominem esse fatuum, catastâ dignum. Et quia res Herodi cum Romanis, more Romano lusit, ut qui regnum ex suâ hypothese stultè affectasset, regni Candidatus esse monstraretur. Hoc irrisus & tulit JESUS noster, in quo sunt omnes thesauri & scientiæ absconditi, ut pro superbia nostra satisfaceret. Christus omnia tulit fecitq; sua dedit Christus omnia, ut nobis recuperaret stolam justitiæ & salutis. Tentat Pontius diversis modis liberare Christû & morti subducere, sed nullum horum consiliorum succedere vult. Jubeat in prætório flagellari. Sententia crudelissima in ipsam innocentiam pronunciata: An Christus bis flagellatus sit, quærunť sacri Interpretes, & ambigunt. Ansam huic quæstioni suppeditat, quod Matthæus quidem & Marcus post mortis sententiam Christû flagellatum esse scribant, quem actum crucifixioni jungunt, Johannes verò ante damnationem decretam, Jesum fuisse cæsum asserat, ac fuisse medium placandi Judæorum animos, actumq; judicis spontaneum bono fine indultum; alterum verò necessarium juxta leges Romanorum, ut cruci affigendi virgis primum cæderentur. Sed, si quis perpenderit, quam varia cum Christo intra breve temporis spatium acta fuerint, verosimilem non putabit bis flagellatum fuisse, cum ne quidem tempus repetitis actibus suffecerit: Commodissimum igitur erit, ut in Matthæo & Marco recapitulationem agnoscamus. Et id notandum, Evangelistas in definitè loqui, *ῥαγιδαίνας*, quod reddi potest, cum flagris cæcidisset, vel flagris cæsum tradidit. Crudelis satis ista fuit flagellatio, quia satisfactum in omnibus Esaiæ verbis Cap. 53. v. 2. 3. flagella aculeata & adun-

ca

ca fuisse refert *Brigitta Revelat. lib. IV. cap. 70. Euthymius* in Matth. Cap. 27. flagellum, quo Salvatoris corpus caesum atq; percussum è funiculis ac loris contextum fuisse putat. *Vincentius* tria flagellorum genera, quibus ordine, quodam in Christi corpus saevitum sit, recenset in sermone de passione Domini, atq; initio Christum spinis & vepribus acutissimis, deinde flagellis aculeatis, tandem hamatis catenis percussum fuisse opinatur, sed hæc incerta sunt. De numero verberum Christi & quæritur. *Brigitta* quinque millia asserit. *Landolphus* de vita Christi quinquies mille quadringenta & septuaginta quinque ictus numerat, alii plures, alii pauciores. Sed tacente Scriptura ejusmodi conjecturis non satis tuto indulgetur. Nobis nosse sufficiat, multis eum plagis percussum esse, qui pro multis peccatis iræ Divinæ satisfecit; ut si quis multitudinem sentiat delictorum, cum Davide exclamans: *Delicta sua quis intelligit!* ad Christum confugiat, salutis nostræ per tot verbera & plagas perfectissimum assertorem. Cum Hebræus populus Ægypto emigraret, in via è rupis vulneribus salientem fontem hausit. *O Cives Optimi*, aspiciete Petram multo verbere percussam, mille vulneribus fauciatam, cruentis rivulis largissimè scaturientem. Videte Regem Regum, Dominum dominantium crudelissimè flagris concisum. Verè Dux de tribu Juda lavit in vino stolam suam, & sanguine uvæ pallium suum. Largam sanguinis effusionem in flagellatione nulli dubitamus, quis verò copiam ejus describat, guttasq; numeret, quas liberali amore Servator noster dulcissimus profudit. Plura jam commentari paginarum angustia non permittit. Notate *Commilitones Optimi*, Quis amor potest

test esse major, quam amantem ultrò ligari, ut exsolva-
tur vinculis amatus? quis amor testatior, quam velle
cædi, velle mori, ut amato liceat sine plagis vivere? Quid
nos amori tanto reponimus? Non labori ac sudori, non
lacrymis, non sanguini, non vitæ, non rei ulli parcendum,
ut amori respondeamus amore. Aderit amanti Deus,
& volenti vires suggeret. *Agnosce o homo clamat Augusti-
nus quantum debeas, & ipse tibi peccandi pudorem indicito.*
Intuemini imaginem, *Cives optimi*, Jesu Salvatoris vestri,
Christi passionem familiarem reddi ex historia Evan-
gelicâ de sacris nunc suggestibus prælecta, causam
& fructum acerbissimæ & contumeliosissimæ passionis
ex ipsis fontibus proponi, submississimo animo con-
stanter audire ne gravemini, potius omnem date ope-
ram, ut fructus passionis in vobis augetur. Omissis
Bacchi sacris Christianorum conventibus frequentes
adeſte, & per vulnera JESU DEUM Patrem devotè
orate, ut tandem aliquando ex altis desertam suam
plebeculam respiciat, pestis & belli tempestatem ac nim-
bos, si ita Divina voluntas tulerit, clementia sua ceu be-
neficio aliquo fidere discutiat, Ecclesiæq; nitorem,
Reipublicæ tranquillitatem, sanitatem & pa-
cem Omnibus restituat.

P.P. Sub Sigillo REGTORATUS die 2.
Martii Anno 1710. ipsa Dominica
Quinquagesima.

1710 (O) 1710

ca fuisse refert *Brigitta Revelat. lib. IV. cap. 70. Euthy*
Matth. Cap. 27. flagellum, quo Salvatoris corpus
atq; percussum è funiculis ac loris contextum fuit
tat. *Vincentius* tria flagellorum genera, quibus or
quodam in Christi corpus sævitum fit, recenset i
mone de passione Domini, atqve initio Christum
& vepribus acutissimis, deinde flagellis aculeatis
dem hamatis catenis percussum fuisse opinatur, se
incerta sunt. De numero verberum Christi & qua
Brigitta quinque millia afferit. *Landolphus* de vita
sti quinquies mille quadringenta & septuaginta
que ictus numerat, alii plures, alii pauciores. S
cente Scriptura ejusmodi conjecturis non satis tu
dulgetur. Nobis nosse sufficiat, multis eum plagi
cussum esse, qui pro multis peccatis iræ Divinæ sa
cit; ut si quis multitudinem sentiat delictorum
Davide exclamans: *Delicta sua quis intelligit!* ad
stum confugiat, salutis nostræ per tot verbera & p
perfectissimum assertorem. Cum Hebræus po
Ægypto emigraret, in via è rupis vulneribus salie
fontem hausit. *O Civis Optimi*, aspiciete Petram
verbere percussam, mille vulneribus fauciatam, c
tis rivulis largissimè scaturientem. Videte Ro
Regum, Dominum dominantium crudelissimè f
concisum. Verè Dux de tribu Juda lavit in vine
lam suam, & sanguine uvæ pallium suum. La
sanguinis effusionem in flagellatione nulli dubita
quis verò copiam ejus describat, guttasq; numeret,
liberali amore Servator noster dulcissimus profu
Plura jam commentari paginarum angustia non
mittit. Notate *Cammilitones Optimi*, *Quis amo*

